



1. Joh
septem
fidei a
Anno

2. Pau
Judai
brevite

3. D. Fr
ria di
fina J
Lips.

4. And
De Mo
Christo

5. Jan
pro Jos
nus re
quibur

6. Joh.
sistens
de ME

7. Achat
Kvβεγα
Witteb.

8. Joh.

16 27 11

LECTORI BENEVOLO
CORONAE ANNVAE
AVSPICIA
FORTVNATA ESSE CVPIT

MARTINVS
CHLADENIVS

S. S. THEOL. DOCTOR ET PROF. PVBL.
ALVMN. REG. ELECT. EPHORVS,
ET H. T.
ACADEM. VITEMBERGENSIS
PRO-RECTOR.

19

LECTORI BENEVOLO

CORONAE ANNVAE

AVSPICIA

FOSTVNATAESSE CVPIV

MAR TINVS

CHILADENIVS

S.S. THEOL. DOCTOR ET PROF. PUBL.

ALVMN. REG. RI. ECT. EPHORVS

ET. H. T.

ACADEM. VILMBERGENSIS

PRO-RECTOR



uo voluptatis majoris res est, memi-
nisse aliquando cursus Academici
bene ac sapienter peracti: quo ex-
tantior quoque moeror est ex recor-
datione juventutis steriliter transa-
ctae resultans, eo operosior cura in-
terponi debet, ne aetas illa floren-
tissima, quae in Academiis vivitur,
aliis, quam utilissimis expeditionibus distineatur, aut iter
ad aureum vellus capiendum institutum, plane interverta-
tur. Hoc sane illic, si res recte curaretur, obtineri, etsi
non absque negotio, poterat: Atque idcirco Academia
rite constituta Colchidis instar habenda, quorsum navigan-
tes non omnes voto suo potiri aut volunt aut possunt:
nonnulli tamen id liberaliter, imo ultra ac supra votum
consequuntur, cujus causa molestias aliquas non subterfu-
gerunt. Neque vero satis describi possunt laudes talis rei-
publicae, utpote quae peculiaris est indolis, quamque omnes
gentes moratiores, quibus poterant ac docere existimabant,
praerogativis, virtutumque & industriae excitamentis co-
honestarunt: ut nonnisi artium bonarum morumque in-
opes, aut homines Fanatico spiritu turgidi de illis detrahe-
re aut iniquius unquam sentire ausi fuerint. Primi enim
earum statores, hodiernique Conservatores constanter cre-
diderunt ac credunt, has studiorum sacrorum ac civilium
officinas esse inviolabiles, & habere aliquid secum, de quo
posteritas ipsa gaudere queat. Quandoquidem cum nihil
scrutinio veritatis dari aut excogitari praeclarius possit, adeo
ut non pauci, fatente Edoardo Stillingfleet, in ejus conse- *Origin.*
cutione Summi Boni portionem non inepte reposuerint: *Sacr. L. I.*
Academiae vel eo nomine se commendare poterant, quod *C. I. p. 2.*
homines ab inscitiae jugo, nisi habenas excutiant, cum suc-
cessu liberare queant, & id auscultatione sincerorum Do-
ctorum

ctorum exiguo temporis spatio praestare, quod nequidem multorum annorum privata industria legendo ac meditando dedisset expeditum. Innocens praeterea omnibus seculis habitum est corpus istud literarium, ex docentibus auctoritate publica, auspicioque summae majestatis constitutis, & auditoribus non pueris, sed jam juvenibus, & virilem partim aetatem consecutis, coagmentatum, ac certis inter se sanctionibus ordinibusque conjunctum. Et tanta quidem aestimatione certatim illud velut prosequendum sibi putarunt Caesares, Reges, Principesque, ad hoc usque seculum nostrum, ut nihil omnino decedere majestati suae crederent, sed potius in summae voluptatis decorisque partem verterent, si aliquid honoris, muneris, & dignitatis eo conferendum putarent. Illustre est specimen Ferdinandi Catholici, qui, ut pervulgatum est, sceptrum sibi praelatum Neapoli sceptris Academicis, qua erat incredibile clementia, submitit, literasque eo loco ac studia dominium tenere, memorabili indulgentique sermone declaravit. Quod ^{animatio} animationis genus tametsi ultra mensuram, & Academicae reipublicae modulum longius transcensisse videatur: non tamen defunt aetate nostra, (ista Numinis est & summa benignitas!) judicia Potentissimorum Regum Principumque non multum dissimilia, quibus Academias suas ornarunt, eoque digniores suo praesidio existimarunt, quo magis Ipsis constare potuit, vigere ibi praeter omnem civilis eruditionis cultum, puriorem quoque doctrinam, & a pravis corruptelis immunem, adeoque felicitatis publicae partem non postremam. Cujus rei documenta vel hanc nostram Leucoream non pauca, beneficiaque tanta ex munificentia Nutritorum exhibere, idoneis testibus facile posset comprobari, nisi istud potius hac mea descriptione intenderem, ut quotquot isthaec legunt, voluntque ex amantissimis civibus nostris, subinde porro me-

mine-

minerint, quae vera sint ornamenta Civis Academici, quae jura ac privilegia, quae onera laborum & sudorum perfe-
renda, quae tandem praemia eum certo maneant, si devi-
ctis & superatis molestiis ad metam aliquam studiorum re-
cte decurrerit.

Et dari etiam rationes modosque, quibus gloria ac de-
cus istud, si non prorsus amitti, obfufcari nihilominus ali-
quandiu possit, non temere quisquam negare audeat. Uti
venenatos fontes nemo facile accesserit, nisi aut rerum o-
mnium ignarus, aut vano jam praejudicio laborans, aut
desperabundus de sua salute: Ita Academia sine doctrinae
puritate, ac veritatis in omni genere sincera candidaque
professione, desinit revera esse, quod erat, aut esse pote-
rat, hoc est, officina coelestis praesidis, Spiritus Sancti, qui
cum improbitate doctrinae, sub pallio & praetextu quocun-
que innocentiae propositae, morari non solet. Videant
quid agant, qui hodie pene de omnibus fidei nostrae par-
tibus dubitare, maligniusque & iniquius sentire, omnem
praeterea ecclesiae cultum externum aspernari & contemne-
re juvenes docent, ipsique scriptis suis false irrident: qui
abjectas dudum & conciliis eliminatas doctrinas cum offen-
sione innocentum revocant in lucem, & nunc polygami-
am & concubinatum, nunc aliud quid monstri sibi alen-
dum & poliendum, ad famam nominis comparandam,
ostentandumque ingenium, sine fronte sumunt, & sibi
plaudunt, quando tenerrimas mentes igniculis pietatis per
bonam educationem haustis, sub praejudiciorum specioso
nomine privant, & in rebus ad religionem spectantibus fri-
gusculum ac teporem, uno verbo Indifferentissimum, sub
moderationis pulchro praetextu, paulatim insinuant, & sic
republicam, aulas, curias, domos, ipsasque ecclesias e-
jusmodi viris implent, qui uti de haeresibus ipsaque vitae
turpitudine & sceleribus irruentibus debitum conceptum

formare nequeunt, veterisque simplicitatis pertaesi sunt, ita illis occurrere nec possunt, nec volunt, adeoque ex monito Pauli misere & fallunt & falluntur. Nostro nos loco, gaudemus semper, velut certatim ad Civium emolumenta fuisse promptos, & uti reliquas scientiae humanae partes ad usum reipublicae genuinum, vivamque praxin proposuisse, ita quoque disciplinae sanctissimae ac divinae ipsis aperuisse fontes puros, simplices, illibatos & a fermenti novaturientis mixtura incorruptos. Veruntamen danda quoque est opera, ut cum spectata sit docentium fides, celebretur quoque porro Civium nostrorum industria & contentio in conficiendo studiorum cursu, & cum verae pietatis ac virtutum omnium cultu conjungendo. Hoc unico praescripto instructi a Parentibus, propinquis, Patronis, magistratibus & Promotoribus mittuntur ad nos, & proficiscuntur inter mille itinerum molestias atque fastidia, ex omnibus pene Europae partibus, quotquot cognoscendae religionis purioris, juris & aequi, artis salutaris & humanarum disciplinarum cupiditate tenentur. Amplectimur eos adventantes multa cum benedictionis significatione: Promptissimi sumus, quantum nobis relictum est potestatis, ad eos juvandos, formandos, ornandos, amplificandos, emendandos si opus sit, & tandem non sine omni amoris documento a nobis dimittendos. Ipsorum jam interest, urgere coepta, delibare quicquid utile est ac salutare, & in usus suos derivare: admittere haud gravatim monitores, nec habenas humanitatis plenas refugere, sed morem gerere legibus, ubique praesentem sibi sistere Deum, ac conscientiam testem, diemque omnium remuneratorem subinde animo volvere: pie, caste, sobrieque juventutis florentissima tempora transigere, & se altioribus aliquando fatis, melioribusque praemiis servare ac praeparare: fugere & infra gradum suum reponere, quicquid a
grati-

gratitudinis, modestiae, charitatis, temperantiae, ac probitatis erga Numen & proximum, laude vel tantillum recedit, istudque omne quam longissime a se remove: summam ut singula complectar, eo anniti, ut pulcherrimum & in universo pene orbe celebratissimum nomen **STVDIOSI** recte ac debite expleatur.

Quod istas partes recenseam adeo sollicite, crediderim & amori meo & muneri praesenti non male convenire, ut habeant utriusque monumentum, si non aere perennius, neque tamen adeo fugax, ut non multorum in animis stimulum virtutis exquisitissimum sit relicturum. Sunt enim, in quorum pietate nihil desideres, eo vero plus in eruditione excolenda desiderari animadvertas: Sunt, qui studiis fatis laudabili industria incumbunt, verum aliis rationibus sibi suaeque fortunae obsunt ac nocent: Sunt tamen, qui utrumque conjungunt, & quicquid ad scopum attingendum pertinere potest, ubique pertinaciter urgent. Et merebatur sane studium sigillatim nostrum sanctissimum, ejusque devotissimum objectum, ut noctu diuque ad illud intimius cognoscendum & percipiendum animus adverte- retur: cum natura & indoles voluptatis illius innocentissimae, quae ex fidei purioris notitia ac certitudine oritur, tam sit excellens, ut omnibus seculi thesauris longissime anteferenda videatur; Testes citare possemus locupletissimos, nisi experientia ipsa intercederet, eorum, qui in audiendo & exercendo circa res sacras defetigari non possunt, nec aegritudinem mentis aut corporis sentiunt, quando integros dies in tam pulchro opere consumunt ac conficiunt, sed omnem occasionem captant, qua de mysteriis fidei differere aut ipsi, aut differentes doctores audire ipsis detur. Neque haecenus destituit Ipsos amplissima materia locusque: Nam & ego uti propediem novam disputationum scenam Numinis ope aperiam: Ita facere non possum, quin,
quod

quod Ipsius praesidio benignissimo factum est, ut nimirum praeteriti & exantlati laboris in Collegio, quod diximus, disputatorio, cum voluptate quadam recordari queamus, recolam quoque hoc monumento, & Nobiliss. Dominis Disputantibus, qui in campo Theologico se non impares ad bella Domini, quandocunque opus futurum sit, gerenda exhibuerunt, nominis commendationem benevolam eo minus omittam, quo magis praesentibus exemplis constitit, eos concitato gradu ad laborum suorum & studiorum praemia contendere: Fuerunt autem isti ordine fortuito nobis enumerandi:

DNN. M. ANDREAS SAMVEL FABRICIVS, Witteberga Saxo,
nunc Pastor Substitutus Schmiedebergensis.

M. MARTINVS CNOBLACHIVS, Gordem. Misnicus.

M. JOHANNES ZIMMERMANNVS, Netschcavia-Misn.

M. DANIEL ROSENFELD, Lipsiensis.

M. GODOFREDVS ANDREAS PLATHNERVS, Mulhusin.

M. JOH. CHRISTIANVS BEKERVVS, Greuffena Thuring.

M. JOH. GEORGIUS WERNERVVS, Königstein. Misn.

M. PAVLVVS DOERINGIVS, Reichenbachio Variscus.

M. ANDREAS CHARITIVS, }
HENRICVS KELZ, } Gedanenses.

THEOPHILVS EISENLOHR, Durlaco-Badensis.

M. JOH. MICHAEL DENNSCHERZ, Werthem. Francus.

M. JOH. GOTTLIEB PRAETORIVS, Budissa-Lufatus.

M. GEORGIUS HENRICVS KOLHASIVS, Tschirad. Siles.

JOH. SCHMIDIUS, Alnovia Hungarus.

Quibus se extra ordinem junxit alter promotus

DN. JOH. GEORGIUS JACOBI, Palaeo-Gottera-Thuringus,
nunc Pastor Vhrlebiensis.

Quod reliquum est, sub auspiciis coronae annuae abs Numine propitio quicquid faustum est & salutare ecclesiae ac reipublicae literariae nostrae, ex animo apprecamur.
P. P. Dom. I. Adv. A. O. R. MDCCXIV.

VITEMBERGÆ, PRELO VIDVAE GERDESIANAE.



